

Oa 44



P r o g r a m m,
w o m i t
zur öffentlichen Prüfung
im
Königlich-katholischen Gymnasium zu Conitz
am 1. und 2. August
u n d z u r
F e i e r d e s G e b u r t s f e s t e s
unseres erhabenen und höchst verehrten Königs,
Friedrich Wilhelms III.
am 3. August

die Eltern der Schüler, die Gönner und Freunde des
Schulwesens
ehrerbietigst einladet

P. J. Junker,
Oberlehrer.

C O N I T Z. 1838.

Gedruckt in der Buchdruckerei von FRIEDRICH FERDINAND HARICH.



Program
wzrost
zuz öffentlichen Prüfung

Königlich-katholischen Gymnasium zu Torun
am 1. und 2. August

Feier des Geburtstages

aus Anlass des 100. Geburtstages
Königliche Bibliothek III.

die Eltern der Schüler, die Lehrer und Freunde der

KSIAŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU

~~100 Jahre~~
1900

AB. 1469

Gedrukt in der Buchdruckerei von Friedrich Beckmann in Torun.

Ilias Homeri

ab L. Attio poeta in dramata conversa.

Num veram ac propriam Romani habuerint tragoediam, qui etiamnunc in disceptationem vocare velit, postquam tanta diligentia de hac re disputatum est, is facile acta agere videri possit. Equidem enim non dubito viri clarissimi, cui existimatio Romanae tragoediae restituta quasi debetur, comprobare sententiam: „tragoediam a Romanis, si cum Graecis comparentur, sane mediocri, sin cum aliis populis, magno studio et successu esse cultam.“ *Lange Vindiciae trag. Rom. p. 3.* Quare omissis omnibus, quae ad illam quaestionem pertinent, pauca tantum de indole atque compositione tragoediae Romanae monere forsitan ab hoc loco non alienum fuerit. Nisi enim fabulae, quarum per fragmenta id fieri licet, singulae explicatae fuerint, iudicium satis certum de re scenica Romanorum ne ex veterum scriptorum quidem testimoniis fieri poterit. Tales vero fabularum interpretationes idoneas frustra in literis latinis adhuc quaesieris, quanquam de universa re scenica satis superque disputatum est. Fragmentis vero plerumque tum paucioribus tum ita corruptis, ut conjungi nequeant, difficile sane est fabulas interpretari, sive de earum constructione et oeconomia quae vocatur iudicare. —

Poetas tragicos Romanorum ne in iis quidem fabulis componendis, quas ex Graecis expresserunt, totos ex illis pependisse, et comparatio utrorumque facta et scriptorum testimonia, denique ingenii morumque Romanorum ratio satis probant. Suum enim cuique genti innatum esse ingenium atque mores, quibus omnes artes

studiaque sint obnoxia, nemo ignorat. Itaque si Romanam tragoediam de Graecis expressam tamen Romanum quendam traxisse colorem statuimus, quid mirum, quippe cum spectacula spectantium moribus et studiis accomodanda esse videantur. Dum igitur Romanorum respublica floruit, atque mores antiqui et virtus integra viguerunt, ingenium Romanum, quaecunque recipiebantur Graeca, facile vincebat atque sibi accomodabat; sed respublica eversa et civium moribus corruptis, etiam in literis libertatem amiserunt, et, Augusto vel auctore vel adjuvatore, Graecis se dederunt; quamquam ne tum quidem ingenium suum plane exuere potuerunt. Quaecunque de Graecis ante eversam reipublicae libertatem ab iis recepta sunt, eorum fieri non potuit, quin multa vel lenirentur vel auferentur, multa etiam reserarentur et alia ex hebetiore ingenio Romanorum nova inducerentur. Ita enim detracta omni venustate, quae nisi lingua Graeca exprimi vel nisi ab animis Graecis sentiri non posset, quod maxime de choricis dictum volo, alia nova in eorum locum oportebat substitui, quae ad commovendos animos Romanorum callo quodam obductos accommodata essent*). Romani cum multis aliis, tum ea quoque re nostratium quam Graecorum similiores fuerunt, quod magis iis, quae oculis quam quae auribus vel animo percipiuntur, commovebantur, sive quod rebus praesentibus magis quam cogitatis et sententiis delectabantur. Quare simplicitate fabularum Graecarum relicta, et compositionem magis impeditam atque splendidiorē, et alia oculorum oblectamenta a poetis recepta esse, facile potest demonstrari. cf. *Cicero ad famil. VII, 1. Horat. epist. II, 1, 187.* Quod studium dum modum non excessit, neque dramaticam poesim funditus evertit, Romani epicam magis narrationem atque ubertatem sectabantur, Graeci contra accuratae morum explicationi studebant. Aptissime *Niebuhrum hist. Roman. I, p. 543. n.* praetextatas Attii fabulas cum historicis dramatis Shakspearii composuisse arbitror, in quibus scilicet non tam depingendis moribus et affectuum incrementis opera impensa fuerit, quam proponendis praeclaris adspectibus et proeliis facinoribusque describendis. Hunc tamen epicum sive colorem sive compositionem in

*) Vulgo scenici Romani chorum e tragoedia sustulisse existimantur, sed in antiquis tragoediis non minus quam Senecae chorum fuisse persuasum mihi habeo. cf. Gell. N. A. XIX, 10.

reliquis quoque fabulis Rom. fuisse contendo, atque ad hunc modum fabulas Graecas a poetis Romanis esse expressas sive mutatas vestigia haud rara ostendunt. Ita enim plures saepe fabulas vel trilogias Aeschyli, ex utraque maximam partem choricis, in unam contraxisse poetam aliquem reperimus*), ita Attius totam Iliadem in continuam fabularum seriem disposuit, et quamvis sit Aeschylum imitatus, multa tamen de suo ingenio addidisse et multo minus, quam ab Aeschylo factum est, epicum colorem delevisse videtur. Quid quod Colchides fabulam Sophoclis et Medeam in unam contraxit idem Attius, et ad amplificandam eam Argonauticis Apollonii usus est? cf. *Apoll. Arg. IV*, 315. cum fragm. Medae apud Non. *vagas. aucupari. Cicero de nat. deor. II*, 88. Praeterea Graecorum laudatam illam simplicitatem a Romanis ut moribus suis parum convenientem repudiatam esse, cum non sit difficile conjectura augurari, tum *Diomedes Grammaticus lib. III.* testatur. De tribus enim tragoediae personis disputans: „At latini, inquit, scriptores complures personas in fabulas introducere, ut speciosiores frequentia facerent.“ Neque alia causa fuit, cur Latinorum poetae tragici eas potissimum exprimendas de Graecis sibi sumerent fabulas, quae vel scelerum magnitudine vel rerum gestarum splendore vel aliis hujusmodi spectaculis insignes essent. Prae ceteris vero Aeschyli fabulae propter peculiare hujus poetae virtutes ad commovendos animos Romanorum aptae erant, quare haud temere factum esse arbitror, quod princeps tragoediae Romanae Attius eum sibi exprimendum imitandumque elegit. Cum vero tragici latini eam, quam modo significavi, materiam in fabulis tractare mallent, in describendis sceleribus atrocissimis, quia verba rebus exaequare studebant, non minus magnarum virium laudem meruerunt, quam tumoris atque asperitatis crimen sibi fecerunt. Praeterea luxuria civium moribus corruptis, cum poetae spectantium pravitati indulgerent, ita factum est, ut Horatii praesertim atque adeo jam Ciceronis aetate, sicut hodie fieri videmus, faustus eventus ex magnifico apparatu, speciosis pompis aliisque machinarum miraculis magis quam ex fabularum virtute penderet. cf. *Cicero epist. ad famil. VII*, 1. *Horat. epist. II*, 1, 187.—

*) Graecorum trilogias Romanos non recepisse, mihi quidem exploratum videtur esse, quanquam Stieglitzius in trilogiis sive tetralogiis poetarum R. componendis operam perdidit.

Quae hactenus de natura tragoediae Romanae exposui, quo facilius exemplis probata intelligantur, seriem aliquam continuam fabularum Attii, maximam partem ex Iliade petitarum interpretabor, ita tamen ut non tam variis lectionibus examinandis quam compositioni explicandae tempus insumam. Fabulae fere hae sunt: 1. *Achilles*; 2. *Myrmidones*; 3. *Nyctegresia*; 4. *Epinausimache*; (5. *Hectoris lytra*?) 6. *Armorum iudicium*; 7. *Eurysaces*. Quae enim praeterea videri possint huc pertinere, Diomedes, Philoctetes, Neoptolemus, quia minus arcte cum illis cohaerent, hoc loco apte possunt omitti. —

I. *Achilles*.

Aeschyli exstitisse trilogiam Achillis nomine inscriptam, quam propter fabulas ex Iliade petitas dramaticam Iliadem vocare possis, demonstrare conatur *Welker Trilog. Aeschyl. p. 415*. Hujus trilogiae partes fuisse statuit Myrmidones, Nereides, Hectoris lytra. Utut res se habet, neque singulas Aeschyli fabulas ab Attio esse expressas, etiamsi Aeschylum secutus sit, neque omnino trilogias componendi rationem a scenicis Romanis receptam esse, statuere non dubito. Quaecunque enim a viris doctis inprimis a *Welkero de trilogia Aeschyli* probata sunt, prorsus abhorrent fabularum Attii et ab inscriptionibus et a fragmentis.

Achillem fabulam apud Latinos praeter Attium scripsit Livius Andronicus et Ennius, quorum ille quem secutus sit, non liquet, Ennium vero Aristarchi fabulam expressisse constat. Ennianae fabulae argumentum hic ponam, ut intelligatur, quemadmodum scriptores latini quoque eandem fabulam variaverint. Ita enim legitur in *Schol. Gronov. ad orat. pro Rosc. Am. p. 434.*: „In Ennio haec fabula inducitur Achillis, quo tempore propter Briseidam cum Graecis pugnare noluit; quo etiam tempore Hector classem eorum incendit. In hac pugna Ulixes vulneratus inducitur, et fugiens ad Achillem venit. Quum interrogaretur ab Ajace cur fugisset, ille ut celaret dedecus: Quis enim vulneratus ferro frugio.“ Argumentum fabulae Attianae fuit Achillis secessio a belli societate propter ereptam ipsi Briseidem, quaeque in prioribus libris Iliadis enarrantur; chorus haud dubie fuit militum Graecorum, de reliquis amplius hariolari non libet. Sed hoc loco quaestio praetermitti non debet,

num Attius Briseïdem fabulam scripserit. Apud Persium enim *Satir. I, 76*, haec leguntur:

Est nunc Brisaei, quem venosus liber Atti,
Sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur
Antiopa.

Pro Brisaei Scoppa conjecit Briseïs, quod nullo confirmatum msc. non paucis tamen videtur probari, in quibus etiam Passovius est. Qui Scoppam sequuntur, Briseïda fabulam Attii fuisse statuunt. At nulla Attii fabula hoc nomine inscripta a scriptoribus laudatur, neque in hunc fabularum ordinem, de quo jam agimus, alia praeterea de erepta Briseïde fabula commode inseri potest, nisi forte de capta Briseïde scriptam eam fuisse quis putat. Haec tamen ratio rem non conficit, immo cum ea sit tam grammaticorum quam reliquorum scriptorum quaedam negligentia, ut saepe fabulas non justo sed alio nomine ex argumento sumpto laudent, velut si Medeam fabulam Argonautas dicas, quid mirum si Persius pro Achille usus sit nomine personae secundae Briseïdos? Sed qui verba diligentius considerare voluerit, non poterit, quin istam dicendi rationem „Briseïs, venosus liber Atti“ valde incommodam ne dicam ineptam esse fateatur. Non addita enim certa aliqua tragoedia dicere potuit, venosus liber Atti, sic vero nisi „venosa Briseïs Atti“ scribere non potuit. Accedit quod altera lectio Brisaei optime convenit voci venosus, venosa enim fabula, quia Attius Brisaeus. Eo magis mirum mihi visum est, quod *Welker libr. I. p. 601.* in corrigendis non solum Briseïda fabulam sed Iliadem (trilogiam?) ex versu 50. *Persii Sat. lib. I.* Attio vindicandam esse censet. Fuit iste Attius Labeo, qui aetate Augusti Iliadem ex optima Graeca fecit malam latinam. cf. *Schol. Pers. Sat. I, 4. et 50.*

Frgm. I.

Qua re alia ex crimine inimicorum effugere possis delica. tetr. j. acat.

Non. v. delica.

Verba sunt principis forsitan Patrocli hortantis Achillem, ne secessione inimicis et malevolis potestatem faciat ipsum incusandi.

2.

Ne tùm cum fervat pectus iracundia. j. senar.

Non. fervat.

Verba Achillis esse non possunt, quia parum commota sunt. His princeps aliquis videtur Agamemnonem monere, ne temere agat neve de spoliando principe iracundia inflammatus statuatur.

3.

an scéptrâ jam flaccént? ferat.

Non. flaccet, languet.

His verbis responderit forsitan Achilles ad ea, quae Agamemnon ipsi pro Briseïde erepta offerri iussit.

II. *Myrmidones.*

Si rationem eam sequimur, quam fuisse trilogiae Aeschyleae contendit *Welker*, haeremus, quomodo componenda sint fragmenta; quae enim in Myrmidonibus oportuit esse, leguntur in fabulis continuis, quae ab Aeschylō scriptae non sunt. cf. *Aeschyl. Trilog. l. l.* — In hac fabula tractatur argumentum II. libri noni: Graecorum ad Trojam dux de fausto belli eventu desperans in concione totius exercitus lacrimabundus consilium suum explicat, ut quam primum fuga petere salutem statuatur. Quam propter animi ignaviam a Diomede reprehensus atque ad sanam mentem redactus princeps secum in tentorium suum abducit, inter quos de summa exercitus deliberantes exsurgit Nestor, et regem hortatur, ut cum Achille in gratiam redire conetur. Mittuntur legati, principes electi, Achillique amicissimi, qui Agamemnonis verbis illi munera amplissima polliceantur, si exercitum Graecorum servare velit. Hujus legationes fuerunt Phoenix, Ajax et Ulysses. Amicissime excepti nulla tamen dicendi arte impetrare potuerunt, ut ad belli societatem rediret. Quo facto illi re infecta revertuntur, relicto adeo Phoenice, qui Achilli obsecutus apud ipsum remansit.

Hoc libri illius argumentum poetam latinum in hunc fere modum disposuisse arbitrator. Scena hujus dramatis castra sunt Myrmidonum, et in media ea positum tentorium Achillis. Chorus fuit militum sive Myrmidonum, quod ni ita esset, alio nomine inscripta fuisset fabula. In Aeschylea quoque fabula, quam non prorsus sprevisse nostrum verisimile est, chorus fuit Myrmidonum. Sic etiam principium dramatis utriusque haud dubie simile fuit; apud Aeschylum chorus alloquitur Achillem his verbis:

Τάδε μὲν λέύσσεις φαίδιμ' Ἀχιλλεῦ

Δοριλυμάντους Δαναῶν μόχθους,

Οὐς προπέλωκας εἶσε κλισίας etc.

cf. *Schol. Aristoph. Ran.* 1019. *Harpocrat. v. προπέπ.* In Attiana fabula chorum censeo adisse Achillem, atque, descripta adversa Graecorum fortuna, et belli cupiditate sua significata, libere reprehendisse et orasse, ut se rursus in proelium reduceret. Qui ubi precibus nihil profecerunt, accedunt legati ab Aegemnone missi. Apud Homerum mittuntur tres, quibus Attius haud dubie cum Aeschlylo addidit Antilochum, Nestoris filium, Achillique carissimum. Rogantibus, ut Danais adversus Trojanos opem ferat, iratus respondet Achilles negans, id se facturum esse, immo se velle quamprimum

Frqm. 1.

trahere in salum j. sen.

classis et vela ventorum animae inmittere.

Non. animae.

cf. *Il. IX,* 417. 683.

2.

neque se miseria commoveri Atridarum, qui ipsum tanta ignominia affecerint:
mea facta in acie obliti.

j. sen.

Non. accus. pro genit.

3.

Quem cum frustra rogari videret Antilochus, exprobrat indignabundus illi pertinaciam, ad quae animo admodum tranquillo atque amico respondet Achilles:

Tu pertinaciam esse Antiloche hanc praedicas, j. sen.

Ego pervicaciam ajo et hac me uti volo;

Nam pervicacem dicas me esse, et vincere

Perfacile patior, pertinacem nil moror.

Haec fortis sequitur, illam indocti possident.

Tu addis quod vitio est, demis quod laudi datur.

Non. pervicacia.

4.
Tua honestitudo Dánaos decepit diu. j. sen.

Non. honestitudo.

Ejusdem Antilochi; Danaï frustra honestati tuae confisi sunt, te injurias esse obliturum sperantes.

5.
Postremo cum, nimium urgente Antilochō, paulo commotior responderet, Phoenix vel Ulysses iram sedare studet, probare se negans, quae ille exprobrasset, sed cum animo non malo dixisset, orare ut ei ignosceret.

Nolo equidem: sed tu huic quem scis quali in té siet j. sen.

Fidélitate, ob fidam naturam viri

Ignósce.

Non. fidelitas.

„quem scis quali sit“ Graecorum more: ὃν οἶσθ' ὁποῖαν πίστιν ἔχει.
quare Aeschylum interpretatus esse possit videri.

6.

Paulatim maxime postquam hortari coepit gravissimus Ajax, verba et metrum commotiora sunt; ita enim ad Ajacem Achilles:

Quódsi, ut decuit, státes mecum aut méus te moeraret dolor, t. t. c.

Jámdiu inflammári Atridae náves vidissént suas.

Non. moerare.

7.

Paucis quidem sed gravibus verbis respondet Ajax βραχυλόγος:

Iram infrenes, óbstes animis, réprimas confidentiam. t. t. c.

Non. confidentia.

8.

Non suam sed Agamemnonis esse culpam, Achilles dicit, quod ita premantur ab Hectore:

Égo me non peccásse plane osténdam aut poenas sifferam. t. t. c.

Non. sufferre.

9.
Régnum tibi permitti malunt? cernam, tradam exercitus. t. t. c.

Non. cernere, cedere.

Loquitur unus legatorum, Ulysses, qui Achilli verbis Agamemnonis principatum belli defert. Cernere esse cedere dicit Marcellus, qua de significatione dubitans Mercerus coniecit cernant. Videtur hoc loco esse videbo, cognoscam, num regnum tibi permitti malint.

III. Nyctegresia vel Nyctegersia.

Fabulam Myrmidones excipit Nyctegresia, in qua post reditum legatorum quae evererunt, descripta sunt, nocturna scilicet Agamemnonis cum primoribus consultatio; deinde Diomedes cum Ulysse in castra hostium pergit et magnam stragem edit. Haec apud Homerum continentur libro II. X. Fabulae inscriptio aliquem in eam sententiam possit adducere, ut Attium de Graeco aliquo tragico eam expressisse putet, sed cum neque Aeschylus, quantum constat, neque reliquorum quisquam Graecorum hoc titulo fabulam scripserit, cumque Grammatici nomine *νυκτεγρησία* librum II. X. soleant significare, cf. *Festus v. egretus*; *Villois. anecd. II, p. 185*; argumentum Rhesi fabulae Euripid., hi inscriptionis ejus poetae latino auctores videntur fuisse. Aeschylum quidem (nedum Sophoclem vel Euripidem) has epicas Iliadis partes in trilogiam suam non admisisse, sententia est *Welkeri p. 424. l. 1.*; quem cur sequi noluerit poeta latinus, supra significavimus potius quam explicavimus. Eandem propter indolem epicam dubium non est, quin ex ea tam simplici rerum compositione, quae vix unum fabulae actum videtur efficere, totam fabulam condere potuerit. Quaecunque dramatis fragmenta exstant, mirifice congruunt cum enarratione Homeri, quanquam eam variatam et auctam esse oportet. Scena fuit in castris Graecorum, chorus non video ex quibus compositus fuerit, nisi ex iis, qui excubias agebant, hoc vel inscriptio fabulae probat; hi igitur primi in scena prodeunt et hostium suamque fortunam describunt. Deinde Agamemnon cum Nestore reliquisque principibus vigilias circumeunt, et in tentorium Atridae ad deliberandum deveniunt. Ibi Agamemnon:

Frægm. 1.

Cujus vós tumulti caúsa accierim et quíd parem *j. sen.*
Advórtite. *Non. tumulti.*

^{2.}
Describit deinde, quibus in angustiis versentur Graeci, Hectorem cum suis in eo esse, ut per vallum et fossam in castra ipsorum irrumpat et naves incendat.

clássis aditus cláuditur, *t. t. c.*

Férvit, *Non. fervit.*

item

^{3.}
scandit aúra laterum téxta Vulcani vorax. *t. t. c.*

Non. textus.

Quae haud scio an cum antecedentibus conjungenda sint.

^{4.}

Hortatur vel Agamemnon vel Nestor, ut aliquis in hostium castra clam noctu irrumpat; páratum se ostendit Diomedes, cujus sunt verba:

Lúbet nunc attentáre, lubet nunc ánimo ruspari Phrygas. *t. t. c.*

cf. *II. X, 220.*

Non. ruspari.

^{5.}

Ab Atrida jussus comitem sibi eligere, cum rogarent pro se quisque, ut se eligeret, respondet verbis plane Homericis:

Án ego Ulysssem oblivíscere unquam aut quémquam praeponi velim? *t. t. c.*

Non. accus. pro gen.

cf. *II. X, 243. Πῶς ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην;*

^{6.}

Adversus hunc conatum surgit alius aliquis principum, ni fallor Menelaus, et acriter fratrem reprehendit, quod viros fortissimos tanto periculo non dubitet committere:

Tún' quod superest sócium mittis léto? an lucti poénitet? *t. t. c.*

Non. v. lucti.

^{7.}

Cui respondet Agamemnon et fratrem invidia moveri haud obscure innuit:

Íllos suapte indúxit virtus, tú laudem illorúm levas. *t. t. c. Non. levare.*

8. **Ejusdem verba conatum probantis ad Diomedem:**

Id quód facis gratum ét grave est. Non. grave.

Il. k. 234.

9.

Hortantibus amicis, principem aliquem Trojanorum medios inter suos cubantem erepturum se esse pollicetur Diomedes:

Aut égo illum eripiam aut illi poenas súfferam. j. sen. Non. sufferre.

Sufferre poenas, poenas dare, ut in Myrmidon. 8., quanquam hoc loco supponere vel dedere esse vult Marcellus.

10.

Deinde abeunt et multa de nocte ad castra Trojanorum ingrediuntur; occurrit Dolon, (*Il. k. 390.*) qui consistere et ad rogata respondere jussus ita precatur:

Cuncta éxpédibo, id módo jusjurandúm date. j. sen.

Jusjurandum, quo se Graeci obstringant, fore ut ipsum auro repensum ad suos remittant, Ceterum ex his colligere possis, scenam fuisse mutatam, nisi forte in castra Graecorum ductus haec loquitur Dolon. cf. *Niebuhrus l. c.*

IV. Epinausimache.

In hac fabula tractantur ea, quae inde a libro decimo Iliadis apud Homerum describuntur, proelium ad naves Graecorum commissum (*ἡ ἐπὶ ναυσὶ μάχη*), deinde certamen Ajacis cum Hectore, praeterea mors Patrocli et Achillis reditus ad arma. Quare non dubito huc referre, quae Cicero de „armatura varia peditatus et equitatus in aliqua pugna“ scribit *ad famil. VII, 1.* — Quo vero fine desierit fabula, non ausim dicere; quamvis enim animus mihi inclinet, ut ultra mortem Hectoris fabulam non processisse putem, exstat tamen Attii fragmentum de redempto Hectore, quod ad aliam fabulam a scriptoribus quidem laudatam non potest referri. Sed praestare videtur statuere, Attii fabulam „Hectoris lytra“ interisse et a nullo laudari.

Scena ad naves Graecorum fuit inter castra Myrmidonum fere atque reliquorum Graecorum, qua via ferebat redeuntium ex proelio. cf. *Il. XI, 599. 899.* Chorus haud dubie Myrmidonum.

Frqm. 1.

Graeci magna accepta clade e campo intra vallum compulsi aegre vim hostium sustinent; prae ceteris saevit Hector, et felici proelio exsultans principes Graecorum ad certamen singulare provocari jubet:

Primóres procerum próvocaret nómine, j. sen.

Si essét quis, qui armis sécum vellet cernere. *Non. cernere.*

2.

Cum vero nemo esset, quin tantum vitae discrimen subire vereretur; omnes enim *αἰδεσθαι μὲν ἀνίγασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι Π. VII, 93.* prosiluit Menelaus, sicut est apud Homerum, vel ipse Agamemnon atque ignaviam ducum acriter incusans ipse certamen cum Hectore subire postulat. Quo facto multi se ad certamen paratos ostenderunt, Atridam ne summam exercitus in periculum adduceret rogitantes; in quibus frater vel Nestor: Si viceris, inquit, nihil proficies, hostes enim perfidi, quod Hector pollicitus est, praestare gravabuntur:

Cóntra quantum obfúeris si victús sies j. sen.

Considera, et quo révoces summam exérciti. *Non. exerciti.*

3.

Cedit precibus amicorum Atrida et vel voluntate totius exercitus vel sorte certamini destituitur Ajax; ad quem intrepido gradu accedentem Hector confidenter ita loquitur:

Quodsi procedit néque te neque quemquam árbitor j. sen.

Tuae poénituum láudis, quam ut servés vide. *Non. poenituum.*

4.

Sequitur certamen ipsum, quod apud Homerum quidem alio loco narratur, a nostro tamen cum reliquis ejus rebus fortiter gestis hac in fabula conjunctum fuit. Sic etiam apud *Sophocl. Ajax, 1245* Teucer narrat, quae frater gesserit, primum quod solus defenderit naves ab Hectore, deinde certamen ejus singulare.

Mártés armis dúo congressos créderes. j. sen.

Charris. duo.

5.

Et quod eodem pertinet:

Incursio ita erat acris.

Charris. ibid.

6.

Ubi fortissime pugnaverunt, tandem aequo Marte videntur discedere, sed Ajax

sicut est apud Homerum *II. XIV*, 402. *seqq.* *VII*, 234, capto saxo sternit Hectorem, quem tamen amici circumsistunt et deorum ope e proelio auferunt. Exsultans deinde Ajax:

Úbi nunc terriculá tua sunt? *Non. terricula.*

7.

Post vires receptas vero Hector eo majore impetu in proelium revertitur, et undique premit Achivos, quorum principes plurimi ad naves saucii redierunt. Prorsus tandem desperans deosque iacans lamentatur Agamemnon:

Scindéns dolore idéntidem intonsám comam. *j. sen.*

Non dubitavi hoc loco ponere versum, quem Cicero *Quaest. Tusc. III*, 26 servavit de „Agamemnone Attiano.“

8.

Achilles de puppi procul conspicit Nestorem, qui ex proelio revertens Machaonem saucium reducit, *II. XI*, 599; mittit igitur Patroclum, qui de vulnerato cognoscat. Patroclo Achivorum fortunam adversam Nestor describit eumque hortatur, ut Achilli persuadere conetur, qui

Nec pérdolescit flígi socios mórte campos cóntegi. *tet. j. c. Non. flígi.*

Plane illud Homericum *II. XI*, 664 *αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς ἐσθλὸς εἰὼν Δαναῶν οὐ κήδετα οὐδ' ἐλεαίρει.*

9.

Deinde eum commonefacit, quae utriusque pater Menoetius et Peleus filiis proficiscentibus in bellum praeceperint, ne scilicet captarent plausum τῶν πολλῶν, sed ut studerent

Probís probatum pótius quam multís fore. *j. sen. Non. p. 519.*

10.

Patroclo redeunti occurrit gravi vulnere percussus et paene deficiens Eurypylus, Euaemonis filius, *II. XI*, 809.

Haec enim sicut sequentia huc pertinere, sponte apparet, quamquam Cicero *I. I. II*, 16. *Orat.* 46. fabulae nomen omisit.

O Patróle ad vos advéniens auxiliúm ét manus vestrás peto, *tet. j. c.*

Priusquam óppetam pestém malam hostíli mandatám manu,

Si quí sapientiá mage vestra dévítari mórs potest,

4

Ac sánguis ullo pótis est pacto prófluens consistere;
Namque Aésculapi liberorum saucii opplent pórticus,
Non pótis accedi. *P.* Certe Eurypylus híc quidem est, hominem exércitum!
Aesculapi liberi (*Ἀσκληπίου παῖδε Π. II, 732*) Podalirius et Machaon.

11.

Patroclus ubi saucii amici misereri incipit, longumque luctum continuat, (ut vidit Orellius) consolatur eum Eurypylus ipse verbis:

Qui álteri exitiúm parat, . . . tet. j. c.

Eum scíre oportet síbi paratam péstem ut participét parem.

„Paratam pestem ut participet“ iterum Graeco more, nisi cum Bothio aliisque paratam legis.

12.

Patroclus deinde quaerit, respondet Eurypylus: cf. *Π. XI, 819.*

P. eloquere, rés Argivum proélio ut se sústinet? tet. j. c.

E. Non pótis ecfari tántum dictis, quántum factis súppetit

Labóris. — *P.* Quiesce igitur, et vulnus alliga!

Postrema non absoluta suppleverunt editores, sed non persuadent. cf. *Orellius* ad hunc locum.

13.

Ubi consedit, dum vulnus adligatur, incipit narrare:

Ubi fortuna Héctoris t. j. c.

nostram ácrem aciem inclinátam
supplendum esse video vel vidi, monet Bothius.

14.

Patroclus cum res afflictas Graecorum non solum audisset, sed praesens vidisset, confirmato consilio ad Achillem redit, atque, quod ipse Graecos servare nolit, ut sibi Myrmidones ad opem ferendam committat, orat.

Tamen haúd fatiscar, quín tuam implorém fidem. j. sen. *Non. fatiscere.*

15.

Ejusdem etiam haec:

Proin tu íd cui fiat, nón qui facias, cómpara. j. sen. *Non. comparare.*

16.

Praeterea huc videtur pertinere versus, qui corruptissimus legitur apud Non. *accus. pro genit. p. 500.* „Eos mortalis foenis libro decimo (lib. X.) misereor (miseror) saepe studitos volo.“ Quae alius aliter correxit, nemo tamen ita ut facile persuadeat. A sensu saltem non valde aberrabimus ita legentes:

Ach. Εὐ me hortari, Phoénix, liberé sino. j. sen.

Phoen. Miserós miserere, saépe id auditúm volo.

Π. IX, 302. τειρομένους ἐλέειρε.

17.

Tandem ab Achille impetrat Patroclus, ut cum Myrmidonibus auxilio mittatur. Sequuntur quae ex Iliade satis nota sunt. Occisus ab Hectore Patroclus ab amicis in castra reportatur, de quibus poeta:

Itum ad moestitiam mútam infantium quádrupedum. *Non. mutus.*

18.

Quae dum in proelio aguntur, Achilles inscius ad naves sedet; cum missus a Menelao tristis et lacrimis obortis accedit Antilochus, et mortem Patrocli atque certamen de corpore nuntiat. Quae simulac audivit, quasi furibundus exclamat apud Aeschylum: ὄπλων ὄπλων δεῖ sqq. Simili ratione poetam latinum rem instituisse oportet; cum enim armis ejus indutus esset Patroclus, sicut erat, sine armis in hostes se inferre voluit, et qui retinere conabantur, amicis respondit:

Ut núnc cum animatus íero satis armátus sum. j. sen. *Non. anima.*

19.

Sequitur luctus de morte Patrocli; Achilles ad belli societatem redire constituit, nam: Mors amici subigit, quod mihi est sénium multo acérrimum. t. t. c.

Non. senium.

20.

Postridie, cum Trojani prope naves Graecorum noctem egissent, ubi cum Myrmidonibus se ostendit Achilles, novis armis indutus, nullo ordine per campum effunduntur atque intra muros se abdunt:

Ab clásse ad urbem téndunt neque quisquám potest

Fulgéntium armum armátus ardorem obtui. *Non. p. 495. de numeris.*

*Il. XX, 43. Τρωῶας δὲ τρώμος αἰνὸς ὑπὴλυθε γυῖα ἔζαστον,
δειδιότας, ὅθ' ὀρῶντο ποδάγρα Πηλείωνα
τεύχεσι λαμπόμενον.*

Armatus Bothio ineptum videtur, quare animatus corrigit; non quisquam armatus sive armatorum sc. Trojanorum; vel quanquam et ipsi armati erant, tamen ardorem armorum Achillis ferre non poterant. Paromoion vero amant veteres scenici.

21.

Persequuntur fugatos Danaï, in primis Achilles, qui in Scamandro flumine permultos trucidat; *Il. XXI, 16 sqq.*, quare ipse jactans:

Scamandriam undam salso sanctam obtexi sanguine

Atque acervos alta in amni corpore explevi hostico.

Putide dictum videtur Bothio „acervos in amni corpore hostico explevi,“ corrigit igitur „acervans altam amnem“ et acervare verbum recentioris aetatis intrudit Attio. Ex plere verbum neque cum acervo neque cum ejus synonymis conjunctum apud quemquam reperitur, sed nove saepissime locutos esse veteres scenicos, paene omnia fragmenta ostendunt.

22.

Extremo loco fragmentum ponam, quod qua in parte fabulae lectum fuerit, vix poterit divinari; servavit *Prisc. I, p. 245. ed. Kr.* ut ostenderet, veteres Jovis dixisse nominativo casu:

Lucifera lampade arietem exurat Jovis.

j. sen.

Bothius: „Significatio haec est veris, quando sol intrat signum arietis, quod ut fiat, his verbis optare nescio quis videtur.“

(V. Hectoris lytra?)

Quae deinceps post mortem Hectoris sequuntur, utrum in fabula Epinausimache tractata fuerint, an Attius quoque Hectoris lytra scripserit, dubium videri possit. Sed cum Attius ea, quae apud Homerum inde a libro decimo Iliadis usque ad finem tractantur, vix una fabula ea, quam nominavimus, amplecti potuerit, neque verisimile sit, ut, quae reliqui poetae fabula insigni composuerunt, ipse partem unius dramatis

exiguam facere maluerit, statuendum esse censeo, fragmenta fabulae Attianae Hectoris lytra inscriptae praeter hoc unum plane interisse.

Imo enim vero corpus Priamo reddidi Hectora abstuli. t. t. c.

Cicero Quaest. Tusc. I, 44.

Verba esse Achillis manifestum est. Apud Ciceronem legitur Hectorem abstuli, sed continuo additur „Non igitur Hectora traxisti“, quod cum compararem cum verbis *Varronis de l. l. p. 583. ed. Sp.*, non dubitavi Hectora scribere. Ita enim Varro: Non modo poetae, sed etiam plerique haec primo omnis qui soluta oratione loquuntur dicebant ut Quaestorem, Praetorem, sic Hectorem, Nestorem. Itaque Ennius ait „Hectoris natum de trojano muro jactari.“ Attius haec in tragoediis largius a prisca consuetudine movere coepit, et ad formas Graecas verborum magis revocare, de quo Valerius ait: Attius Hectorem nolet facere, Hectora malet.

VI. *Armorum iudicium.*

Hoc titulo (*ὄπλων κρίσις*) fabulam scripsit apud Graecos Aeschylus, apud Latinos Pacuvius, Attius et Pomponius Secundus. De trilogia Aeschyli conferendus est *Welker l. l. p. 433.* Ultimam hujus argumenti partem tractavit Sophocles in Ajace, quem quia ab Attio expressum esse volunt, non omittendum duxi; ceterum num vere ita statuant, infra quaeretur.

Primum paucis exponam de fabula Pacuvii, quo facilius inter se comparari possint. Calchas in concilio principum oraculum Minervae pronuntiat, quo Achillis arma dari jubet fortissimo Graecorum:

Quod ego inaudivi accipite et quid sit facto opus decernite. t. t. c.

Apud Pacuvium igitur Minerva praesens in scena non est spectata, quod apud Aeschylum factum esse contendit Welker, sed per sacerdotem, quid fieri vellet, significavit. Agamemnon deinde, quippe qui ipse de praemio fortitudinis certare nollet, proceres provocat, si qui de armis certamen subire vellent:

Qui sese adfines ad caussandum volunt, t. t. c.

Dé virtute his égo cernundi dó potestatem omnibus,

et

Qui viget vescatur armis, ut percipiat praemium.

et

Séque ad ludos jam inde abhinc exerceant.

Ludos dicit certamen, ad quod principes jam se parare jubet. Sed reliqui omnes, postquam Ajax, Telamonis filius, et Ulysses in medium processerunt, certamen detrectarunt, quo facto res ad hos duos rediit. Ajax vero suae sibi virtutis conscius maxime indignatur, quod homo ignavus et astutia solum fretus, qualis fuerit Ulysses, secum in campum descendere audeat:

Án quis est, qui te esse dignum quicum certetur putet? t. t. c.

Ulysses contra facundia et arte confisus non deterretur, et ab Atridis, qui ipsi magis quam Ajaci favent, impetrat, ut jurati judicent. Haec enim Agamemnon:

Et aequum est rectum est, quod postulas,

Jurati cernant.

Haec de fabula Pacuvii. Attiana, quantum judicari licet, magnam partem simili ratione composita fuisse videtur. Agamemnon oraculo monitus a Minerva arma Achillis proponit praemium fortitudinis; consurgunt multi, qui hanc laudem sibi vindicare cupiant, cedunt tamen omnes Ajaci et Ulyssi, quorum igitur alterutri arma adjudicari oportet. Quaeritur, quinam statuendi sint iudices. Apud Ovidium *Metamorph. XII*, 62, judicant principes Achaeorum, sicut factum docuimus apud Pacuvium; sed apud Quintum *lib. V*, 157 decernere jubentur captivi Trojanorum; idem Aeschylus placuisse conjecit Welker, quamquam fragmenta desunt, quae probare id possint. Forsitan tamen ex Attio demonstrari possit, apud quem Ajax certe postulat, ut captivi dijudicent, sed obnitens Ulysses*) facili opera ab Atridis impetrat. Ita enim apud Sophoclem *Aj. 1114 ed. Herm.* alter Atridarum Menelaus a Teucro accusatur, quod fratri dolo suffragia surripuerit (*κλεπτης ψηφοποιός*); cf. *Aj. 1222*.

Scena fuit locus apertus in castris Graecorum; chorum apud Aeschylum captivorum fuisse censet Welker, sed neque in Pacuvii fabula neque Attii captivorum sed militum et, sicut apud Sophoclem, Salaminiorum fuisse eum existimo, quippe cum duae Aeschyli fabulae *δπλων κρίσις* et *Θράκιαι* sive de morte Ajacis ab Attio in unam contractae fuerint.

*) cf. Frgm. 2.

Attium dicunt Ajacem Sophoclis in rem suam vertisse, cf. *Lobeckius ad Aj.* 1253, quod quid sibi velit, vix intelligitur; quodsi Attium in re simili oratione quoque simili usum esse volunt, non intercedo; sin vero Sophoclem potius quam Aeschylum ab eo expressum esse censent, qua auctoritate ita censeant nescio, neque omnino ita esse puto.

Frgm. 1.

Agamemnon postquam arma praemium virtutis proposuit, hodie summa justitia Pelopidarum domum sanctam se redditurum jactat:

Hódie noxítudo*) tet. j. c.

Oblíteretur Pélopidarum ac pér nos sanctescát genus. t. j. a.

Non. noxítudo.

2.

Ubi ad iudices res venit, Ajax postulat ut captivi Trojanorum, ab omni studio liberi, de virtute utriusque decernant; sed repugnat Ulysses, ad quem ironice Ajax:

Hem véreor plus quam fás est captivum híscere. j. sen. *Non. híscere.*

3.

Studium Ajacis describitur his verbis, quae apud Nonium v. [vesci. corrupta] leguntur:

Cedit Achilli inclutis armis vesci studet

Ut ea cuncta optima Achilli incluto levia prae illis putet.

quae ita emandavit Mercerus:

Sed ís Achilli inclutís armis vescí studet j. sen.

Ut cúncta opima lévía prae illís putet.

Both. 1. 7. p. 254.

Séd ita Achilli ínclutis ármis vescí studet cret. t.

Út jam cuncta óptimis lévía prae illís putet.

sed malo sequi Mercerum.

*) Nonius laudat: oculo noxítudo, quod ita corrigendum duxi, Bothius in Museo Rhen. fasc. 2. anni 1837 p. 254. oculi noxítudo pro invidia.

4.
Sequitur deinceps altercatio certantium. Elato animo Ajax pauca sed gravissima, quippe cum non sit multorum verborum:

Hujus mé dividia cógit plus quam est pár loqui. j. sen. *Non. div.*

5.

Quaecunque sequentium asterisco notavi, hic ponere non dubitavi, quanquam Cícero, apud quem leguntur, scriptoris nomen omisit. Rursus Ajax:

* Apérte fatur dictio si intelligas; j. sen.

Talí dari arma, quális qui gessít fuit,

Jubét, potiri sí studeamus, Pérgamo;

Quae ego méa profiteor ésse: nam me aequum ést frui

Fratérnis armis, míhique adjudicárier,

Vel quód propinquus, vél quod virtute aémulus. *ad Herenn. II, 26.*

6.

Primum animo non ita commoto loquitur, cum contemptu tamen:

* Quare áccusem hunc, nequeo éxputando evólvere; j. sen.

Nam sí veretur, quid eum accúsem, qui ést probus?

Sin ínverecundum ánimí ingenium pössidet,

Quid eum áccusem, id qui párví auditu exístimet? *ad Herenn. II, 26.*

7.

Sed paulatim effervescit, et qui modo accusare noluerat, jam addit:

* Nunc égo te ab summo jám detexam exórdio. j. sen. *Ibid.*

8.

Item

Quid est, cúr componere áusis mihi te aut mé tibi? j. sen.

Non. componere.

9.

et

* Cujus ípse princeps júrisjurandi fuit, j. sen.

Quod ómnes scitis, sólus, neglexít fidem:

Furere ádsimulavit, né coiret ínstitút.

Quod ní Palamedis pèrspicax prudentia,

Istius percepset málitosam audáciám,

Fidé sacratum jús perpetuo fálleret. *de off. III, 26.*

item per ironiam:

* Vidí te Ulysse sáxo sternentem Héctora,

Vidí tegentem clúpeo clásses dóricam,

Ego tunc pudendam trépidus hortabár fugam! *Charris. IV, p. 252.*

cf. *Sophocl. Aj. 1253.*

11.

Ejusdem narrantis, quae ipse gesserit:

Intér quos saepe et múlto imbutus ságuine. *Non. imbuere.*

12.

Respondet sine ira atque invidia, sermone tranquillo et sententioso callidissimus Ulysses:

Nám tropaeum férre me a fortí viro, *t. t. c.*

Púlchrum est, si autem víncar, vinci nállum est a talí probrum.

13.

Ajax sua virtute fretus nil moratur deos, et superbus facile videtur; contra Ulysses, maxime deorum vel Minervae ope nititur, et hujusmodi sententiis abundat, cf. *Sophocl. Aj. 125.*

Nám non facile sine deum opera humana propria sunt bona. *t. t. c.*

Non. proprium.

14.

Judices denique sive „versutiloquis malitiis“ (*Cicero Orat. 49.*) Ulyssis corrupti et favore Atridarum inducti, cf. *Soph. Aj. 1114.*, sive pervicacia superbiaque Ajacis offensi Ulyssi arma adjudicant. Qua injuria summa exacerbatus Ajax sedari non potest, ita ut vim ejus jam timeant:

Sed péricio Ajax ánimo atque in exorábili. *j. sen.*

Non pervicus.

15.

De eodem aliquis forsitan iudicum ipsi favens:

In quó salutis spés supremas sibi habet summa exérciti. *Non. exerciti.*

16. quibuscum conjungi possunt duo versus, quos servavit Cicero *Quaest. Tusc. IV, 23*,
quanquam neque fabulam neque scriptorem laudat:

* Nam fácinus fecit máximum, cum Dánais inclinántibus tet. j. c.
Summám rem perfecit manu, restituit proelium insániens.

17.

A Minerva deinde furore inmisso, noctu Atridas et Ulyssem, quos injuriae auctores
putabat, trucidare conatur; postridie vero ad sanam mentem redactus ubi, quae
gessisset, intellexit, ignominiam ferre non potuit; cepit inde consilium interficiendi
sui, sicut apud Sophoclem. De furoris causa aliquis:

Úbi cura est, ibi ánxitudo acérba, ibi vincta cónsiliórum t. t. ac.

Rátio et fortunáe.

Ita solum emendari posse existimo, quae apud *Non. v.* anxítudo corrupta leguntur,
et quae prosa oratione scripta ex praefatione (?) fabulae desumpta esse vult Bothius.
Non. Merceri:

Ubi cura est, ibi anxítudo; acerba ibi cuncta consiliorum
ratio et fortunae.

Ceterum quod anxítudo formam analogia carere dicit Bothius, et cum Vossio
anxietudo legit, non meminerat in eadem pagina noxítudo se probasse. Imo
anxietudo analogia carere dicendum erat, quanquam anxietas rectum est.

18.

Postquam mortem sibi consciscere constituit, patris recordatus loquitur:

Majór erit luctus, cú me damnatum áudiet. j. sen. *Non. damnare.*

Damnare hoc loco esse morti dare Nonius dicit; „major erit luctus, quum me
ab Atridis damnatum audiet, quam quum ipsum me mihi mortem intulisse cognosceret.“

19.

Sicut apud Sophoclem ante ipsam mortem filium in scenam proferens ultimum
hortatur:

Virtúte sis par, díspar fortunís patris. j. sen.

Soph. Aj. 550. ὦ παῖ γένοιο πατρὸς εὐτυχέστερος
τὰ δ' ἄλλ' ὅμοιος, καὶ γένοι' ἄν οὐ καχός.

20.

Béne facis; sed núnc quid subiti míhi febris escivít mali? t. t. c.

Non. subitus.

Videntur esse verba Temessae ad chorum, ubi de nuntio oraculum Calchantis audivit. Bene facis, quod te ad quaerendum ipsum iturum polliceris.

21.

* Quod nísi quieris Ménelae hac dextra óccides. j. sen. *Seneca epist. II, 80.*

Verba Teucri ad Menelaum prohibentem, quominus sepeliretur Ajax. Neque fabulam neque scriptorem laudat Seneca.

22.

Ejusdem Teucri ad Agamemnonem verba:

Cur vétera tam ex alto áppetis j. sen.

Dissidia, Agamemno?

Non. altum.

cf. *Sophocl. Aj. 1205 sqq.*

VII. Eurysaces.

Eandem fere fabulam a multis poetis tam graecis quam latinis tractatam esse legimus. Scripsit Aeschylus *Σαλαμινίως*, quae fuit pars extrema trilogiae de Ajace compositae, cujusque argumentum Teucer cum Eurysace reversus et a patre male acceptus. cf. *Welker trilog. Aesch. p. 439.* Teucerum scripsit Sophocles fabula singulari, cujus pauca tantum fragmenta exstant. Inter Latinos primum Livius de Teucro fabulam scripsisse fertur, de qua infra dicemus. Deinde Ennii laudatur Telamon. Pacuvii quoque Teucer multis fragmentis commemoratur, ejusdem haud dubie argumenti. Postremo Attius argumentum hoc ulterius deductum Eurysace fabula tractasse videtur. Sed primum de Teucro Livii dicam.

Varro de *L. L. VII, p. 80* de Aelio locutus, qui interpretationem carminum Saliorum scripserit „exili litera expeditam et praeterierit obscura multa“: Nec inquit, mirum, quum non modo Epimenides post annos *L* experrectus a multis non cognoscatur, sed etiam Teucer Livii post annos *XII* a suis qui sit ignoretur.“ Haec Varro. Cum vero Livii Teucer nusquam laudata legatur, Attii vero fabulae locus

mirifice conveniat, et cum depravatio illa sit facillime, idem enim fere est ductus literarum, non dubitandum esse censeo, quin Teucer nulla Livii fuerit fabula et Varro de Teucro Attii in Eurysace loquatur. Sed Livius sive Teucrum scripsit sive non scripsit, Varronis verba ad Attii fabulam interpretandam maxime idonea sunt.

Argumentum hujus fabulae ex his Justinii verbis *lib. 44.* divinare licet. „Galleci autem (loquitur enim de Hispania) Graecam originem sibi asserunt; siquidem post finem Trojani belli Teucrum morte Ajacis fratris invisum patri Telamoni, quum non reciperetur in regnum, Cyprum concessisse atque ibi urbem nomine antiquae patriae Salaminam condidisse. Inde accepta opinione paternae mortis patriam repetisse. Sed cum ab Eurysace Ajacis filio accessu prohiberetur, Hispaniae litoribus appulsum loca, ubi nunc est Carthago nova, occupasse inde Gallaeciam transisse et positus sedibus genti nomen dedisse.“ — Teucer igitur postquam annos duodecim in insula Cypro habitavit, desiderio patriae terrae et opinione ductus, patrem Telamonem, qui exilii auctor fuerat, esse mortuum, cum sociis et amicis suis naves conscendit, et Salamina navigavit. Cum vero de morte patris dubitans veterem ejus iram vereretur, in itinere consilium cepit, ut mutata veste et dissimulato genere et nomine, moestus, quasi magnis esset in luctibus, cum paucis regem adiret, et quae esset rerum condicio, percontaretur. A Telamone patre et Eurysace in regni partem jam accepto benigne receptus primum quis esset roganti regi dissimulavit; mox vero cum patris animum, quem percontando de filiis vehementer commoverat, bene praeparatum censeret, se filium professus est simulque oravit, ut sibi in insula, ubi natus esset, considerare liceret. Inde certamen gravissimum animi paterni, cum idem ulcisci filium et ignoscere juberet. Intercessit Eurysaces cum amore patris tum regnandi cupiditate ductus, et cum etiam populares, quorum animos Teucer oratione commovendos curaverat, ejus misericordia tangerentur, dubitantem avum impulit, ut filium iterum fluctibus sese committere cogeret.

Chorus fuit militum vel sociorum Teucris forsitan etiam popularium ex insula Salamine; scena prope litus ante regiam.

Hanc fabulam actam esse eo anno, quo senatusconsultum de revocando Cicerone in templo Virtutis factum est, constat ex oratione Ciceronis *pro Sextio c. 56.* Ita

enim Schol. Bobiense ad orat. eam: „Summus artifex: actor illis temporibus nobilissimus tragicarum fabularum Aesopus egisse videtur Accii fabulam, quae scribitur Eurysace, ita ut per omnem actionis cursum tempora reipublicae significarentur, et quidem Ciceronis fortuna deploraretur. etc.“ Aesopus igitur omnia de Teucro dicta in Ciceronem transtulit pariter exulantem. Sed locus Ciceronis paulo est obscurior, quae enim ex Ennii Andromacha esse constat, hoc loco ab Aesopo in eadem fabula Eurysace acta esse dicit. Quae difficultas tolli vix poterit, nisi Aesopum nonnulla ex Ennii fabula, quae huic loco convenirent, sua sponte in describenda calamitate Ciceronis addidisse statueris. Quare sic rem expedio:

Quid enim? qui rem publicam certo animo adjuverit,
Statuerit, steterit cum Achivis; re dubia,
Nec dubitarit vitam offerre capiti nec pepercerit,
Summum amicum, summum in bello, summo ingenio praeditum,
O ingratici Argivi immunes Grai immemores benefici!
Exulare sinitis, sistis pelli, pulsum patimini.

ex Attii Eurysace esse statuo. Quae tamen interposita sunt initio capitis 57 „O pater etc. et „Haec omnia vidi inflammari“ Ennii sunt ex Andromacha. cf. Cicero *Quaest. Tusc. III*, 19. et *Varro l. l. p. 583 ed. Sp.* Quid igitur, quod Cicero in eadem fabula paulo post ab eodem Aesopo ea acta esse dicit? Haec Aesopus, cum de eversa Ciceronis domo similem in Eurysace locum non haberet, de Ennio sumpta addidit:

O pater, o patria, o Priami domus! dim. anap.

Septum altisono cardine templum

vidi ego te, adstante ope barbarica

tectis caelatis laqueatis

auro ebore instructum mirifice,

haec omnia vidi inflammari sqq.

forsitan paulum etiam mutata fuerint, sed haec fuisse hic posita ex verbis Ciceronis apparet: Me, me ille absentem ut patrem deplorandum putabat sqq. Quanto cum fletu de illis nostris incendiis ac ruinis, quam patrem pulsum, patriam afflictam deploraret, domum incensam eversamque? sqq.“ Vix enim potuit fieri, ut ea,

quae de patria afflictâ, domo incensa et eversa, vel de patre leguntur, ab Attio de Teucro scriberentur. Quis quaeso illum patrem, patriam ejus afflictam, domum ejus eversam dicere potuit?

Fr. g. m. l. Super oceani stagna alta patris dimet. anap.

Terrarum anfracta revisam. paroem. *Varro l. l. VII, 83.*

Verba Teucri e navi escendentis in terram patriam; de voce anfractus cf. *Varro l. l. Conjunge: Patris terrarum (patriae terrae) anfracta. cf. Lucan. phars. V, 416.*

Nunquam erit tam immânis, cum non meâ opera extinctum sciat, t. t. c.

Quin fragescat. *Non. fragescere.*

Ejusdem Teucri sunt non dubitantis patrem adire et qui sit profiteri.

3. Ille orbis exspes liberum. t. t. c. *Non. exspes.*

Ille Telamon filium non repudiabit, praesertim cum orbis sit liberis.

4. Tu quod quaero abs te enôda, et qui sis éxplica. j. sen. *Non. enodare.*

Loquitur Telamon ad Teucrum, qui mutata veste in regiam intravit, vel ad ejus socium, quem praemiseraat.

5. Atque ut vidés non tenui de loco. j. sen. *Non. locus.*

Verba alicujus ex sociis Teucri, respondet enim ducis loco Telamoni, et fabulam confingit. Ejusdem etiam haec:

6. Namque éa oblectat spés aerumnosum hópitem, j. sen.

Dum id quod miser est clam ésse censet álteros. *Non. censere.*

Quae est narratio de Teucro, aerumoso hospite, conficta; dicit eum delectari, si possit miseriam suam celare. Paulatim filius animum Telamónis percontatur atque movere studet. Respondet Telamon quasi eum jam poeniteat, quod filium non receperit:

7. Heú me miserum cum haéc recordor, cum illos reminiscór dies! t. t. c.

Non. accus. pro genit.

Jam deplorat fortunam filii, qui sit:

Nunc per terras vágus, extorris régno, exturbatús mari.

Non. extorris.

9.

Quem ut repudiaret, inductum se esse dicit errore etc.

Persuásit moeror anxítudo error dolor.

j. sen.

10.

Ejusdem etiam haec:

Disertim id unum incómodis desit meis.

Non. disertim.

11.

Fieri tamen non poterat, quin Eurysaci ejusque familiaribus nasceretur suspicio, hospites illos non esse tam homines ignotos, quam videri vellent. Sic enim Eurysaces ad Telamonem:

Opínione factum est, ut, quantó minus

j. sen.

Stirpem édicebant, tánto reremúr magis,

Eos esse.

Non. opinio, suspicio.

Vulgo haec ita leguntur:

Opinione factum est, ut quanto minus

Stirpem educabant, tanto vereremur magis

eos esse.

12.

Ubi tandem patris animum satis percontatus est Teucer jam non dubitat, se filium fateri:

Ápud ipsum adstas!

Non. apud.

Coram te vides, quem deploras, Teucrum taum!

13.

Exclamat deinde Telamon:

Pro dii ímmortales! spéciem humanam invísito

j. sen.

Tam egrégiam indignam cláde et squalitúdi-
ne.

Non. squalor.

14.

Eodem pertinent et haec:

Sed indútus taetra véste, et squalitúdi- j. sen.

Tam déformatus. Non. vastitudo.

Vulgo Sed ut ratus sqq. quae corrigenda esse duxi.

15.

Quae ubi comperit Eurysaces, veritus id, quod erat, ne precibus et lacrimis patrem moveret, Teucrum abduci et in custodia haberi jubet.

Sed mémet calor; vós istum ut jussi ócius j. sen.

Abstráhite Non. calvitur.

16.

Eurysacen cum animo obfirmato repugnare videret Teucer, priusquam ad arma res veniret, ex sociis aliquem mittit, qui oratione popularium animos moveret; hujus enim haec sunt verba:

Quid enim? qui rempublicam ánimo certo adjúverit, t. t. c.

Státuerit, steterit cum Achivis, re dubia, —

Néc dubitarit vítam offerre, cápiti nec pepécerit,

Súmum amicum, súmmo in bello, súmmo ingenio praéditum,

O íngratífici Argivi, inanes Gráii, immemores bénefici,

Éxulare sínitis, sistis pélli, pulsum pátimini! Cicero pro Sext. 56.

17.

Non minus ipse Teucer Eurysaci persuadere studet:

jám patere accipiam ét sine, t. t. c.

Quíd vi contendam? híc ut tecum Sálaminem habeam cómpote.

Quae quam corrupta in libris legantur, apud Bothium vide.

18.

Eodem haud dubie pertinent, quae corrupta apud Nonium v. ilico leguntur:

Ilíc j. sen.


ínquam, hábita nobis quám propítius . . .

19.

Contra Eurysáces ne precibus filii cedat hortatur:

Tót tropaea tránsdes, summam glóriam evortí sines t. t. c.

Tám desubito? Non. desubito.



20.

Ubi rem nisi armis discerni non posse videt Telamon, lamentatur his verbis:

Telam. Heú mihi, ut etiam haéc aerumna míhi luctum addit lúctibus! t. t. e.

Eurys. Quid miserans tuam sólitatem mémoras? formidás tibi?

Telam. Eúrysaces te cómmiserabar mágis quam miserabár meae Vítae multis cálamitatum dévexatae géneribus.

Non. miserari et misereri.

21.

Postquam precibus nihil impetravit, Teucer armis, quod petebat, vindicandum sibi statuit:

Quemadmodum óccupemus fácere ultro in regem ímpetum. j. s.

Non. occupare.

22.

